



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Bonifacius Ep. Mart. 19. Iunii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

19. Iunii. VITÆ SANCTORUM. 389  
trocinium suscepisset. Et hoc tantum or-  
bis miraculum anno M. D.V. terras dese-  
ruit, ne queri quisquam possit, nullam  
nostro ævo magnam virtutem gigni.  
Quidvis? anulli Deus invidet suam cru-  
cem? sed nos delicati humeros subducim-  
us. *Ex Phil. Fer.*

*Tolle Crucem tuam, & sequere Iesum, &  
ibis in vitam æternam: præcessit ille baju-  
lans sibi Crucem, & mortuus est pro te in  
Cruce; ut & tu tuam portes Crucem, &  
mori affectes in Cruce. Thom. à Kemp.  
l. 2. c. ult.*

S. BONIFACIUS EP. MART.  
19. Iunii.

Fuit BONIFACIUS Ottoni Imp. san-  
guine, plus amicitia junctus, quæ qui-  
dem tanta inter illos erat, ut cum fami-  
lariter illum hic compellaret, animam  
suam identidem diceret. Liberalibus ar-  
tibus omnibus, musicis præcipuè instru-  
ctus, dum modulos in æde cognominis  
sibi D. BONIFACII instruit, caelesti  
Numine repente afflatus, *Heus!* excla-  
mat, *quid vanam ego nominis umbram ge-  
ro? quid Martyris titulum circumfero, si  
non victorias etiam & palmas? Superos te-  
stor, & cognominem Dirum, aut non dicar  
BONIFACIUS, aut ero. simul ad monaste-  
rium abiit Martyrii tyrocinia positurus.  
Avelli Ottoni animam suam vidisses:*

Bb 3

At

At ille bis tantum in septimanâ cibum  
 capiens, crebrò interim corpus in vepres  
 abiciens ad martyrum patientiam se du-  
 rabat. Post Romam profectus, & Ar-  
 chiepiscopatus honore maclatus, & jam  
 ad purpuram aspirare ausus, in Russiam  
 abiit. Ibi post multa ludibria rex cum  
 Divo ita paciscitur: Si rogos geminos,  
 qui juncti flammam sociarent, illæsus per  
 ambularet, tum sese etiam in Christiano-  
 rum sententiam pedibus ambulaturum.  
 Dictum factum. BONIFACIUS per  
 rogam, rex ad partes Catholicorum tran-  
 sit. Ad regis porrò exemplum innumera  
 multitudo confluit. Mox sua laborem  
 præmia secuta. BONIFACIUS à ger-  
 mano Regis capite truncatus, nomini  
 denique suo satisfecit. Ex Pet. Damiano  
 ap. Sur. in vitâ S. Romualdi.

*Universi Christiani agnoscant se regii  
 generis, & sacerdotalis officii consortes:  
 quid enim tam regium, quam subditum  
 Deo animum corporis sui esse rectorem?  
 quid tam sacerdotale, quam vivere Domi-  
 no conscientiam puram, & pietatis hostias  
 de altari cordis offerre? S. Leo serm. 3. in  
 ann. Ass. suæ.*

S. ROMUALDUS AB. 19. Junii.

**S**pectator fortè ROMUALDUS adfuit,  
 cum parens duello germanum suum  
 sustulit. Itaque cum animo suo putans  
 cen-